

Dissertatio inauguralis medica de instrumentis quibusdam ad perforationem capitis foetus in partu difficili aptis ... / auctor Joannes Georgius Klees.

Contributors

Klees, Johann Georg, 1770-1849.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Jenae : Ex officina Fiedleriana, [1792]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vyhhr83b>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE

INSTRUMENTIS QVIBVS-
DAM AD PERFORATIONEM CA-
PITIS FOETVS IN PARTV DIFFI-
CILI APTIS.

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO
THVRINGIAE REL.

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM
ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA AC CHIRVURGIA
HONORIBVS IVRIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE IMPETRANDIS

A. D. XXVIII. FEBRVARII. MDCCLXXXII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

IOANNES GEORGIVS KLEES

MOENO - FRANCOFVRTANVS.

I E N A E

EX OFFICINA FIEDLERIANA.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637
TEL: 773-936-3200

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
1215 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILLINOIS 60637

S. R. I.

INCLYTAE AC LIBERAE

REIPUBLICAE

FRANCOFVRTENSIS AD MOENVM

PROGERIBVS

DOMINIS PERILLVSTRIBVS

PRAETORI

CONSVLIBVS

SCABINIS

SYNDICIS

AC

SENATORIBVS

PATRIBVS PATRIAE

SVMMIS

STVDIORVM MAECENATIBVS

HASCE
LABORVM MEDICORVM PRIMITIAS
CVM
OMNIGENAE PROSPERITATIS VOTO
IN
DEVOTISSIMI ANIMI MONVMENTVM
CONSECRAT
ET SE SVAQVE OMNIA
COMMENDAT
TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS

A V C T O R.

§. I.

Rationali medico, qui obstetriciam artem non empirice exercet, semper scitu dignissimum erit instrumenti cuiusdam obstetricii inuentorem nosse, ac emendationes, quae sensim cum eo sunt factae, satis perspicere. Tunc non solum quantos fecerit ars progressus, praeclare scire potest, sed etiam ex historia et comparatione instrumentorum diuersorum nouum inuenire ac componere licet, in quo et vitia aliorum vitata, et qualitates optimas coniunctas reperies. Quamquam *perforatio capitis* in partu difficili ob maximos artis obstetriciae progressus hodierno die rarior est facta, tamen omnem perforatorii, crudelissimi licet instrumenti, usum repudiare ac damnare non poteris.

In hocce opusculo periculum feci, vt instrumentorum diuersorum, quae ad caput extenuandum in partu difficili adhibentur, primum breuem cognitionem exhiberem, dein, quomodo et quando sint applicanda, indicarem.

Quos labores, tamquam primitias iuuenis et in arte obstetricia tyronis, bene uole respicias, te B. L. etiam atque etiam rogo.

§. 2.

Olim perforatio capitis in peluim depacti ab obstetricantibus saepius peracta fuit, quam hoc seculo quia uiris ex praeiudicata opinione ac pudicitia quadam mulierum haud tempestiua serior aditus tempore partus concedebatur, ubi saepe nullum artis praesidium praeter perforationem restabat, tum etiam, quia ex ignorantia operationum tam manualium, quam instrumentalium, praesertim forcipis emendatae, quorum cognitionem recentioribus medicis debemus, partus hac sola via hoc absolvendus videbatur.

§. 3.

In contemplatione diuersorum instrumentorum, quatenus ad dictam operationem perficiendam seu perforatorium spectant, sequentem ordinem sequamur. Omnia sunt aut *nuda*, aut *recta*. Extant *cultri*, *forfices* ac *uncini*.

I. PERFORATORIA NUDA.

a) *Cultri*.

Veteres medici tam rectos, quam curuos cultros in usu habuerunt. HIPPOCRATES de cultello quodam ser-

fermonem facit, cuius ope caput foetus aperiendum esset. ALBUCASEM, Arabs, formas sic dictas spatumiles inuenit, quorum altera figuram cylindricam habet in superiore et inferiori parte acuta, rotunda et incurvata apice praedita, altera tribus anulis in perpendiculari directione est composita, quorum externi sunt acuminati a).

Incurvatum brevemque cultellum inuenies apud PAREEVV b). DE LA MOTTE ad perforationem capitis foetus cultellum chirurgicum in vfu habuit, cuius ope portionem quandam ex capite excidit. SIMSON cultello brevi in annulo firmato utebatur. Culter longitudinem pollicis adaequat, atque in fundo suo, non autem, vt illud ROEDERERI, de quo infra sermo erit, in dorso cum annulo connectitur, et in superiore parte acuminatus est. Cel. AITKEN e) quoque instrumenti cuiusdam effigiem habet, quod

A 4. ad

a) *Aicken* Grundfäze der Entbindungskunst, aus dem Engl. übersezt von C. H. Spor. Nürnberg 1789. tab. 28. Fig. 1. 2. 7. 8.

b) *Parée* deux livres de Chirurgie, de la generation de l' homme, et de l' extraction des enfans, à Paris 1582. fol.

c) *de la Motte* traité complet des accouchemens, Paris 1721. 4. liv. 3. Chap. 26. observ. 257.

d) Neue medicinische Versuche einer Gesellschaft Aerzte in Edinburg, 5. Band, 1. Theil Nro. 40.

e) *Aicken* l. c. tab. 27. Fig. 2.

ad similitudinem Simsoniani propius accedit. Culter solummodo est brevior et annulo iunctus, qui omnimodo figuram annuli digitalis factorum habet.

§. 4.

ROEDERERI *f*) cultellum annularem omnibus satis notum, hic quoque perforatoris adnumero, quamquam eius usus maior est, et in specie dissectioni foetus in utero destinatus. Attamen perforatio capitis plurimis in casibus cum isto est instituenda, ut affirmant magni artis obstetriciae magistri. Gracilis est cultellus, in inferiori parte eius dorsi annulo praeditus, quem in ipsa operatione digito medio inducimus. Hoc modo culter in digito, quoad eius longitudinem, manet, et manu secundum regulas artis obstetriciae consuetas, ut facilius vaginae immittatur, compressa, eo ipso tectus est. Ill. STARKE, praceptor quam maxime venerandus, instrumentum hocce ingeniosissime emendavit, cum in eius parte superiori secundum adhuc annulum adiungeret. Quo factum est, ut firmiter digito adhaereat atque tutius applicari possit *g*).

§. 5.

f) Stein theor. und pract. Anleitung zur Geburtshülfe, Cassel 1783. tom. 2. tab. 4. fig. 2.

g) Doebener Dissertat. de applicandis instrumentis in arte obstetric, Ienae 1785. 4.

§. 5.

MAVRICEAV *b)* singulare quoddam instrumentum anceps, superne acuminatum, quod figuram hastae adaequat, ad aperiendum caput invenit, et aliud priori valde simile lanciforme MESNARD *i)* attulit. Uterque cel. vir singulares quoque forcipes ad extractionem capitis perforati commendavit, quas ut fufius describerem, nec propositum, nec tempus permittit. Vnam solummodo silentio praeterire non possum, nempe illam FRIEDII senioris, cuius effigiem dedit VOIGT *l)*. Forcipem istam in interno latere dentatam, et in medio longam atque acuminatam spinam vides, quae, forcipe usque ad caput foetus delata, versus anteriora protrudi debet. Scopum autem nullo modo adimplere potest, cum apertura inde facta tam parva sit, ut exitus cerebri et extenuatio capitis sequi non possit. Cumque in genere mobilem iuncturam non haberet ista forceps, eius applicatio difficillima fuisse videtur.

A 5

§. 7.

- b)* *Mauriceau* Observations sur la grossesse et l'accouchement des femmes, à Paris 1706. 4.
- i)* *Mesnard* Guide de accoucheurs, Paris 1743. 8.
- k)* *Voigt* Probeschrift von dem abgerissenen Kopfe in der Gebärmutter, Giessen 1743. in *Levrets* Wahrnehmungen von schweren Geburten, herausgegeben von *Walbaum*, Lübeck und Altona 1758. 1. Band pag. 307.

§. 6.

Cel. AITKEN, cum in libro suo *vectem* sic dictum mobilem seu articulatam describeret, auctor est illum etiam in necessitatis casu loco perforatorii adhiberi posse, si lamina ferrea tricuspadata supra illam ligetur.

b) *Forfices.*

§. 7.

DEVENTER 1), qui singulare instrumentum ad perforationem superfluum iudicabat, cultello aut forfice usque ad apicem linteo involuta utebatur. Hic modus interdum medicum obstetricantem iuvabit, si forte fortuna perforatorio destitutus sit. Id quod accidit cl. D. MÜLLER, seniori, medico practico in patria vrbe, fautori meo maximo, cui pro sua erga me benevolentia maximas, quas possum, ago habeoque gratias. Vocatus ad aegrotum rus habitanem, audiuit in isto vico parturientem esse quandam iam per aliquot dies in statu tristissimo, ab obstetrice foetum non solui posse etc. Adiit illam, atque usum perforatorii indicatum invenit, sed cum istiusmodi casus plane esset inopinatus, instrumentorum copiã nullã, urgente necessitate, vulgari forfice i. e. chartaria, cerebri effluxum partumque promovere coactus fuit.

§. 8.

1) *Deventer* Operationes chirurgicae, nouum lumen exhibentes obstetricantibus, Lugd. 1701. 4.

§. 8.

SMELLIE *m*) singularem rectam et longitudini pollicum XI. aequalem forcicem in tabulis anatomicis proposuit. Acies brachiorum supra iuncturam ab illa forcicis communis non diuersam, lata et acuminata est, atque in eorum medio duo sunt bacilla transversalia in externo latere. Clarissimus auctor in genere quidem usui instrumentorum non fauet, praesertim sub descriptione forcicis suadet omnem cautionem optimaque artis remedia adhibere, priusquam operationem cruentam suscipias. Manus tunc in vaginam immitti, digiti duo contra futuram cranii quandam praeviam firmari, forfex altera manu versus hunc locum sensim in caput infigi debet vsque ad bacilla transversalia. Postea manus e vagina emittenda, forfexque diducenda est. Qua operatione apertura in cranium facta, instrumentum iterum claudimus ac vertimus, ita, vt in opposito loco incisionem alteram instituere possimus crucis formam habentem. Si forsan cerebrum non satis esset deletum, vt facile efflueret, SMELLIE proposuit hoc ope vncini in capitis aperturam immitti efficere. Quo facto, festucas ossium cranii forsitan relictas cum digitis auferre fas est.

§. 9.

m) Smellie anatomische Tafeln, aus dem Englischen übersetzt, von C. L. B. Augsburg 1782. tab. 39. fig. d.

§. 9.

WALBAUM *n)* aliud instrumentum simplex et commodum descripsit. Est sorsifex incurvata, in longitudine XII. pollicum, brevibus cum aciebus, longis vero manubriis. Altera acies est acuminata, altera obtusa in apice. A communi forfice incurvata non est diversa, praeterquam quod manubrium alterum propius accedat, et in infima parte annulus vnus ab altero procul remotus sit. Ante applicationem instrumentum cum corio tenui aut linteo inuolui, tum ad foetus caput adduci, et brachium acuminatum in fontanellam cranii iniici debet, dum annuli in $\frac{1}{2}$ poll. spatio diducantur. Itaque cum brachio obtuso, quod non in caput penetrat, ex cranio, quantum placet, seindendum iubet. Quamquam partem, cui infigitur instrumentum, comites et quasi dirigentes digiti in vagina prius explorant, quam fiat ipsa applicatio, tamen non omne periculum vterum aut vaginam matris laedendi euitare poteris.

§. 10.

Celeb. LEVRET *o)* quoque perforatorium sub nomine *perce crâne à deux lames* exhibuit, quod forficis rectae figuram habet. Vulgaris iunctura pae-
ne

n) Wallbaum's Ausgabe von Levrets Wahrnehmungen, tom. 2. pag. 455. tab. 4. fig. 1.

o) Stein 1. c. tom. 2. tab. 3.

ne in medio est totius instrumenti, quod longitudinem X. poll. aequat, manubria paululum sunt longiora aciebus acuminatis et per longitudinem pollicis peracutis.

§. II.

FRIED iunior, obstetricator Argentoratensis, hoc instrumentum Levretianum ita emendavit p). Brachia alio modo, quam in forfice communi, iungi curavit. Loco iuncturae in vno brachio nodus est semicircularis, in sulco alterius brachii movendus. Nodus et sulcus ex aduersa regione consistunt. Itaque manubria, inter quae lamina motum ciens posita est, si instrumentum aperimus, non sunt diducenda, vt in forfice Levretiana, sed potius comprimenda. Sine dubio hac mutatione apertio multo fit facilior. Perforatorio hocce utebatur cl. ROEDERER, et apud quosdam auctores illud sub nomine Roedereriani descriptum legimus. At historiam huius inventionis pertinere videntur, quae mihi retulit Ill. G. CH. SIEBOLD, Professor Herbipolensis, praeceptor maximopere colendus, cuius semper gratissima mente recordabor, eaque silentio hic praeterire non possum. Iuncturam nempe supra expositam et laminam inter manubria proprie chirurgus Hannoveranus, cl. LAMPE, inuenit, atque conficiendas curavit, cum communiter cum

p) *Fried* Anfangsgründe der Geburtshülfe, Strasburg 1769. tab. 5. fig. 4.

cum FRIEDIO iuniori partum perforatorio indicato absolendum haberet, ac forfice vulgari vti cogere-
retur. Accidit hoc anno 1764, quo tempore
ROEDERER, cui inuentionem plurimi tribuunt, the-
ologiae adhuc operam dedit.

§. 12.

Perforatorium, quod celeberrimo WEIDMANNO,
Professori Moguntino, in vsu est, quodque mihi cl.
D. WENZELL, de cuius erga me amicitia mihi gratu-
lari possum, cognitum fecit, a Friediano, vt mihi vi-
detur, non multum differt. Acierum in externo latere
acutarum pars est rectilinea, in Friediano vero conue-
xa, in manubriis annuli desunt.

§. 13.

Perforatorium DENMANNI *q)* figuram forfi-
cis vt plurimum Smellianae (§. 8.) adaequat.
Acies est gracilior et solummodo in apice per longitu-
dinem pollicis acuta, reliqua autem bractee pars cras-
sior, ad exemplum bacillorum transversalium in perfo-
ratorio Smelliano.

c) *Vncini.*

§. 14.

Inter perforatoria nuda adhuc referendi sunt *un-*
cini, quos praesertim veteres in vsu habuerunt;

VOIGT

q) Aiken l. c. tab. 29. fig. 8.

VOIGT r) plurimos plus minus incurvatos, simplices ac duplices, descripsit. Superior siue proprie acuminata et vncinata pars horum instrumentorum in prae-viam commodamque capitis foetus partem iniici debet, postquam digiti ad hunc locum immissi sunt, vbi durante operatione manent, ne qua matri laesio accidat, si capitis frustum forsan cum vnco dissecaretur. Vno eodemque tempore caput cum istis extrahi debuit. Hodie prorsum obsoleuerunt. Facile enim videbis, eorum ope, circumstantiis supra enarratis, capitis molem non imminui, atque vterum aut vaginam laesioni facillime exponi potuisse.

§. 15.

II. PERFORATORIA TECTA.

Quicumque culter acutus siue anceps, siue simplicis aciei, facile, ni cautissime dirigatur, genitalia laedit. Praestant ergo instrumenta theca quadam tecta et occultata. FRIED senior s) instrumentum a se inventum atque *Troicar* nominatum ad caput perforatione extenuandum commendauit. In superiore parte figuram habet gladii ancipitis, in duabus vaginis ex orichalco factis contenti, quarum vna est mobilis, altera immobilis. Culter cum priori atque cum bractea quadam connectitur. Cum itaque manubrium tenetur, pollexque contra bracteam ponitur, culter protrudi potest

r) Voigt l. c. tab. 3.

s) Voigt l. c. pag. 56.

potest. Quod instrumentum haud difficulter ad caput foetus immitti, et postquam culter per bracteam in eius vaginam retractus est, etiam reduci potest sine genitalium laesione. Interim negari non potest, apertionem in caput factam nimis esse parvam, nisi iterum iterumque instrumentum vertimus, ut maior evadat, digitusque ad cerebrum destruendum intrare possit. Hae operatione autem plane corrumpitur et ad eundem usum in posterum inutile redditur. Serrulam atque cochlear dentatum auctor cl. FRIED ad perforationem prosequendam laudat, sed eorum applicatio multo cum periculo coniuncta est. Perforatorium isthoc a nonnullis cel. viris adhuc in usum vocatur.

§. 16.

Perforatorium BINGIANVM 1) in genere forcicis figuram habet, cuius brachium sinistrum super iuncturam vulgarem duabus e laminis in apice acuminata rursus iunctis est confectum, dextrum autem est culter in externo latere acutus, et cum instrumentum clausum sit, intra laminam sinistri brachii reconditus. Applicatio sequenti modo fit. Annulus dexter pollicis, sinister vero digito minimo induuntur, digiti ad reliquam mediam ponuntur instrumenti partem, quod caute ductu alterius manus, quae iam antea in vaginam muliebrem intrauit, capiti foetus infigitur. Quo facto, aperien-
dum

1) I. G. Jancke Com. de forcipe ac forcice ferramentis a Bingio, Chirurgo Hafuiensi, inventis, Lipsiae 1750.

dum est instrumentum, ut culter detegatur, quocum
 incisio fieri potest ac debet. Peracta operatione, rur-
 sus clauditur ac provide educitur. Sed omnes hae
 cautelae, quamvis optime adhibitae, obstetricantem
 non satis ab omni periculo genitalia laedendi libera-
 bunt.

§. 17:

OVL D u) singulare instrumentum inuenit, cui
terebrae occultae nomen est. Est bacillum ferreum
 rotundum, acutum per elaterem siue laminam spiralem
 motum cientem, cum vagina quadam metallica conne-
 xum. In inferiore parte manubrium est ligneum, cui
 si apprimitur, culter, alias tectus, apparet, et in ca-
 put foetus demitti potest, atque propria vi, elateris
 nempe causa, in eius vaginam redit. Cum isto per-
 foratorio, quoad constructionem, maxime conveniunt
Denysianum illudque ab AITKEN inventum, quod
 solummodo brevius graciliusque est.

§. 18.

Ad perforationem atque extractionem capitis foe-
 tus aliud instrumentum invenit BURTON x), atque ex-
 tra-

u) *Firding Oulds* Tractat über die Hebammenkunst,
 Dublin 1742. 8.

x) *Walbaum* l. c. tom. 1. tab. 5. fig. 3. 4.

tractorem nominavit. Est lamina ferrea, longa in apice ad similitudinem folii myrtacei acuminata, cum manubrio ligneo. Sub cultro in quocunque latere duo bacilla brevia per geniculum mobilia adhaerent. Cum isto geniculo filum ferreum est iunctum longitudini laminae aequale, cui si inferiori parte apprimitur, bacilla se erigunt, atque horizontatem situm cum priori longitudinali permutant. Vagina quaedam metallica omnes instrumenti partes tegit, quae sub applicatione reduci debet, ut euspis et bacilla in foetus caput intrare possint. Quo facto, rotari debet instrumentum, ut cerebrum destructum effluat, atque caput simul extrahi possit.

§. 19.

AITKEN *y*) forficem ac forcipem sub vno instrumento comprehensas descripsit. Iunctura cum illa forficis vulgaris convenit, super quam brachia forficis in duabus vaginis singularibus clausa, et sub illa alia manubria ad forficem, alia ad vaginas invenies, ita, ut singulis seorsim a posteriori uti possis.

§. 20.

Cum incisio in caput foetus perforatorio FRIEDII senioris facta non satis magna et Levretianum a periculo genitalia laedendi non immune sit, cl. H. I. BRÜN-

NING-

y) L. c. tab. 27. fig. 4.

NINGHAUSEN, Professor in academia Herbipolenfi nuper constitutus, medicis ac chirurgis tractatu *de fractura colli ossis femoris* bene notus perspectusque, aliud instrumentum ex ambobus illis componi curavit, vbi vagina Friediana forcicem Levretianam tegit. In specie quodammodo adhuc mutatum est, nempe brachia forcicis non in medio, sed in infima parte inter annulos, et quidem immobiliter connectuntur, supra magis diuarcata sunt, quam infra. Quoad latitudinem, omnimodo a vagina tecta sunt, sed quoad longitudinem $1\frac{1}{2}$ poll. spatium nudum est. Vagina mobilis est, id est, protrudi ac reduci potest. In casu priori cuspis est tecta, in posteriori vero denudata. Vagina ipsa ex duobus laminis orichalceis, in medio cochleae cuiusdam ope iunctis, confecta est. Clavus cochleae inter brachia forcicis est movendus, ita, vt, vagina retracta, eo ipso illa magis diducantur. Maxime autem cum perficitur, cum laminae vaginae ambobus lateribus in margine separatae sint.

§. 21.

Quae constructio, cum valde mihi placuerit, ad eius exemplum perforatorium FRIEDII iunioris (§. 11.) aut potius cel. WEIDMANNI (§. 12.) vagina quadam tegeri curavi: Vagina ista supra est latior, quam infra, conicam ita figuram habet, eiusque laminae in ambobus marginibus divaricatae sunt ac cochlea quadam iunctae, vt firmiter adhaereant, for-

fexque, brachiis adhuc clausis, aliquantillum protrudi, itaque ante incisionem pungi possit. Quo facto, nullum cutis frustum in foetus capite non incisum inter brachia forcicis supererit. Vagina denuo per bracteam illi, quae in instrumento FRIEDII senioris est, similem movenda est. Annuli in manubriis extant, quia cum istos vna manu teneremus, forsitan vagina facilius retrahi et post applicationem protrudi potest. Totum instrumentum longitudini X. poll. atque super iuncturam latitudini I. poll. adaequat. Pars illa brachiorum in externo latere acuta, in longitudine $1\frac{1}{2}$ poll. habet. Incisio ab isto facta paene duorum poll. magnitudinem habebit.

Qua constructione instrumentum hocce omnes proprietates, quae ab idoneo perforatorio desiderantur, ut equidem credo, acquisivit, nempe ut incisio satis magna fiat, et maior adhuc, quam in BRUNNINGHAUSENIANO, (abhoc enim apertura cranii nimis parva fit) atque ut periculum partes quasdam laedendi, quae non laedi debent, sub eius usu evitetur.

Sequenti modo instrumentum applicatur. In capitis sutura quadam, verbo, illius parte praevia, digiti duo manus sinistrae firmanantur, illorumque ductu dextra instrumentum caute immittitur. Dein incisio facienda est, dum protrudatur, vaginaque eius bractee ope retrahitur, ac vno eodemque tempore manubria comprimuntur. Vna incisura non sufficiente, secundum metho-

thodum Smellianam altera priorem decussans facienda est. Digitis, instrumentum vbivis comitantibus et obvias forsan genitalium carnes removentibus, denuo cerebri effluxus promovetur. Tunc in casu dato partus naturae est committendus, et caput foetus dolorum viribus nasci, merito est sperandum, nisi forcipe, vnco Smelliano aut alio remedio hic loci non describendo opus esse videatur.

§. 22.

Descriptis quibusdam instrumentis ad extenuandum caput, aptissimis nunc casus illos, *ubi admittenda sint*, propius determinabo. In genere *foetu mortuo* atque *cipite* eius *praevio* perforatio suscipitur. De istis enim partus speciebus, ubi dissectio foetus in utero, perforatio pectoris siue abdominis indicata sunt, hic non fermo est. Sed priusquam specialiore indicationem adduco, de *signis foetus mortui* verba quaedam faciam.

§. 23.

Foetum esse mortuum, praesertim ex signis sequentibus *patet*, cum mater forsan in grauiditate graues morbos, externam violentiam, vteri haemorrhagiam etc. vt causas foetum necantes, perpessa sit, cum mater nullum infantis motum in abdomine, contra vero graue pondus in utero, modo ad dextrum, modo ad sinistrum latus caducum sentiat, cum abdomen molle, fri-

gens et versus inferiora inclinatum sit, protuberantia umbilici, quae iam iam adfuit, rursus evanescat, cum mammae collapsae et flaccidae serum copiose profundant etc.

Partu ipso instante, haec signa praecipua sunt, *pulsus* in funiculo umbilicali, regione cordis etc. *deficiens*. Quibusdam ab auctoribus hic quoque *pulsus* in fontanella, sed male refertur. Nam in parvulis eius arteriis percipi non potest, ergo saepius illi propriorum digitorum pulsum sensisse videntur. *Membra* infantis *flaccida* sunt, motus eorum v. c. linguae aut maxillae inferioris versus superiorem *deest*.

Tumor ille capitis foetus in peluim ingressi, qui a copiosiori affluxu sanguinis restagnantis et in telam cellulosa effusi oritur, plane *deficit*. Fac vero adesse eum foetumque sub partus initium vixisse *mollis* semper est, tumori impressioni digitorum cedit, incremento non augetur, vel disrumpitur, ossa cranii se vicina tangunt, atque supra se invicem facile moveri possunt, margines stridorem edunt etc.

Ruptura capitis succedanei accidit, cum partus iam diu duravit, ob extravasatum in cellulis cutis cranii putrescentem, in specie, ubi hydrocephalo s. d. interno foetus laborat. Nuda tunc ossa cranii siue cum solo periosteo tecta exploranda sunt. Ill. SIEBOLD casum quendam mihi retulit, ubi horis iam XXIV. post par-

partus initium praeterlapsis, ac forcipe sine fructu iamiam adhibita, nullis autem hucusque instrumentis acutis applicatis, perforatorio vt̄i cogebatur. Caput succedaneum disruptum cranium denudauerat, atque mediocris aquae quantitas effundebatur. Ab alio obstetricante, digno, cui fides adhibeatur, qui primus adfuit, hoc observatum fuerat. Aquas ille effluentes manu excepit.

Deinde foetu mortuo, *meconium profuit*. Certius hoc signum est, si statim post liquoris amnii effluxum appareat, meconium cum illo mixtum sit, aliaeque partes, quam nates praeviae sint. Foetus etiam ita potest irritari, vt meconium demittat, aut in versionis negotio ab obstetricantis manu, aut aquis effluxis ab utero se contrahente, LEVRET aliique infantes vivos nasci viderunt, vbi, durante partu, meconium abiit.

Tum foetus *membra epidermide priuari* possunt. Id quod non vi, sed leuissima contrectatione fieri debet, nata foetus pars subnigra est, liquores *putres*, decolores foetentesque, mephitim nauseosam halantes, ex genitalibus profluunt. Quamquam haec putredinis signa notabilia sint, paullum tamen restringi debent. Rarissime enim foetus ante instantem partum putrescit, quia hoc velamentorum lacerationem liberumque aeris

in

in vterum aditum requirit. *BAUDELOCQUE* 2) in casu prolapsi brachii putredinem huius interdum esse localem observavit. Eius modi casum memorabilem quoque apud *Cl. Pyl* a) legas. Maxime autem memorandus hoc loco casus venit apud candidum observatorem *FABRICIUM AB HILDEN*, qui cum vertice spaciato infantem nasci vidit, et cum foetore simul foedo tertio demum post extractionem die demortuum.

Facile vides, infantem ex signis istis non singulis, sed collective sumtis, mortuum pronuciari posse. Cum difficultates nobis adhuc supersint, cumque multa signa, capite praevio, in cavitatem pelvis depacto, inutilia sint, summa cum providentia merito crudele perforatorium adhibendum videtur. Horribiles sunt isti casus, ab auctoribus litteris consignati, vbi caput infantis perforatum fuit, qui post partum clamores adhuc edidit, convulsionibusque correptus periit.

§. 24.

Casus speciales, vbi perforatio indicata est, hi sunt:

I. Ma-

2) *Baudelocque* Anleitung zur Entbindungskunst herausgegeben von *Meckel* 2. Ausgabe, Leipzig 1791. 1. Band p. 737.

a) *Pyl* Magazin der gerichtlichen Arzneykunde, 2. Theil p. 379.

1. Maximus incuneationis capitis gradus vel ab angustia pelvis, vel a capite nimis magno, monstroso, et quidem in situ istius quocunque.

2. Capitis paragomphosis post versionis negotium.

3. Caput a foetus trunco abruptum,

Perfectam paragomphosin, ut ne stilus quidem inter parietes internos pelvis atque ambitum capitis incuneati introduci potuerit, bis vidit cel. WRISBERG. Uterque casus forcipis applicationem respuebat, solo perforatorio capita erant extenuanda. In genere autem necesse est, ut antea alia remedia, v. c. antispasmodica, si casus requirit, forcepsque adhibeantur, quia raro de paragomphoseos gradu, nisi experientia, diiudicari potest.

Spasmus in orificio vteri, magni momenti res, saepius adest. Partum cum isto morbo complicatum aliquando absoluendum habuit, casumque mihi enarrauit Excell. SIEBOLD, communiter cum patre eius CAROLO CASP. SIEBOLD, praeceptore meo ad cineres usque colendo, et meis praeconiis superiori.

Rusticae cuidam primiparae, statura mediocri, constitutione sana, robusta, plethorica, in partu brachium foetus procidit. Quod tactu ante velamentorum lacerationem erat explorandum, atque versionem indi-

caverat, quam ill. SIEBOLD suscepit. Pessime se gessit pariens, magnum edidit clamorem, pedibusque calcavit. Multis itaque cum difficultatibus infans usque ad caput nascebatur, hoc vero, quamquam situm rectum haberet, atque pro plurima parte iam in cavitate pelvis esset, non sequebatur. Probatissimae operationes manuales, omnisque ars violenta ab utroque, sed frustra adhibebantur. Cum certissima mortis foetus signa adessent, perforatorio aut vncō Smelliano incurvato uti concludebatur. Rarior iste casus non in suspicionem venerat, hinc instrumenta necessaria e domo adferri iubebantur. Feminae facies valde rubuit, calor auctus, pulsus plenus durusque fuit. Venae sectio itaque magna in brachio adhuc instituebatur. Cum postea rursus periculum foetum soluendi factum sit, caput haud difficulter nascebatur. Applicatio itaque aliorum instrumentorum, praesertim vnci Smelliani, valde laboriosa et plane superflua fuit.

Causam exitus huius mitioris sine dubio venaectio, ut remedium antispasmodicum, fuit. Spasmus orificii uterini, quem illa in ista femina plethorica sustulit, caput cohibuerat.

§. 25,

Quaeritur, an perforatorium quoque indicatum sit, cum, foetu adhuc viuo, nullum aliud remedium partum promovendi, quam sectio caesarea aut syn-

chon-

chondroseos ossium pubis supersit, materque operationes hasce concedere nollet. Quaestionem ill. STARKE *b)* sequentibus sub conditionibus affirmavit, quod casus caute ac prudenter consideratus ob capitis magnitudinem siue pelvis angustiam plane nullum aliud remedium, quam illa heroica requirat, quod optima persuasio, respectu matris diuersa, omnesque rationes a doctrina morali ac religionis plane inutilia fuerint, quod mater maxima cum certitudine affirmaverit, infantem potius esse necandum, quam se ipsam periculo exponendam esse. Multis rationibus magnus ille obstetricator sententiam suam adhuc locupletauit. Considerandum est, matrem sanam etiamnum in viuis esse superstitem, diuque manere posse, personam esse nobiliorem foetu, qui ipso partu, morbis infantilibus etc. multis in discriminibus adhuc versatur.

Varia de illo casu opiniones extant. Secundum quosdam mater sine omni auxilio suae forti committi, secundum OSBORN aliosque Anglos foetus perforatus per quoddam tempus adhuc in pelui manere debet, ne viuus nascatur. — Fatum obstetricantis illo in casu est tristissimum. Consilium horribile enim est, truculento modo ferrum frigidum, vt ait PLENCK, in foetum viuum trudendi, terrore ac horrore afficiuntur adstantes. Cum signa foetus viui certiora essent, cum ob constitutionem caeteroquin sanam, ob iuuentutem viresque

ma

b) Archiv für die Geburtshülfe, 2. B. 4. St. p. 20.

matris, sectionis caesareae aut synchondroseos ossium pubis, euentus fortunatus sperandus sit, multo difficilius, nonnullis forsitan impossibile videbitur caput perforandi. Cum vero e contrario signa vitae essent incerta, tempus opportunum illud, vbi operationes illae bono cum successu institui debent, iammihi praeterlapsum sit, cum alii adhuc morbi et vires parientis fractae euentum ambiguum facerent, minus cunctandum erit. Saepius fortasse hoc accidit, quam illud, quia auxilium fero postulabatur, aut ex aliis diuersis causis.

Cl. quidam obstetricantes, v. c. PLENCK, suadent partum non ad finem perduendi, neque perforationem instituendi, priusquam infans in ytero mortuus sit.

Possitne hoc consilium nos iuuare atque ambiguitatem omnem auferre? Attamen negari non potest, mortem foetus saepe tardare, tempusque illud, vbi mortuus sit, haud facile determinatur, mater sortem infelicem, v. c. inflammationem yteri etc. periclitatur. Sed haec mala secundum regulas artis tolli debent.

Maxime, vt mihi videtur, ob casuum diuersitatem ad indiuiduum est respiciendum atque post exactum circumstantiarum examen modo hoc, modo illud consilium prosequendum. Sed haec haec tenus et pro scopo meo sufficient.